


69
5 D
20


ANTONII THYLESII CONSENTINI IN ODAS HORATII FLACCI AV/ SPICIA AD IVVEN/ TVTEM RO/ MANAM.





ANTONII THYLESII CONSENTINI IN ODAS HORATII FLACCI AVSPICIA AD IVVENTVTEM ROMANAM.

DIsce bonas artes, moneo, Romana iuuẽtus. Habendum eſt in ore carmen hoc, eiq;, uelut Oraculo, ſemper parendum adoleſcentes ingenui. illinc enim omnia, quæ ad recte, trãquilleq; uiuendũ attinent, facile naſcuntur, ſtabiles diuitiæ, honores nõ fucati, uera uoluptas, famæq; celebritas, atq; etiã immortalitas, quæ tot, tantaq; bona ut poſſitis aſſequi, iuuabit uos magna ex parte libellus hic. quem iccirco mecum domo attuli, ut dono hic darem, non uni tantum. nam ſi id facerẽ, qui eũ acciperet, ſolus me amaret. reliqui uero, ut Iuno & Minerua, propter aureũ illud, & fatale malũ Veneri adiudicatũ, odio in Paridem acerbiſſimo, eiuſq; domum, & patriã exarſerunt, unde furialis bellorũ fax Priami regnũ funditus deleuit. ſic me odiſſent omnes, atq; inde mihi non nihil metuendũ eſſet homini præſertim peregrino. Quẽ ego timorẽ ut uitarem, ſtatui omnes pariter donare, quo me amarent omnes, quãdo amore præſertim omniũ, nihil homini cõtingere poteſt optabilius. Vt igit̃ una, eadẽq; liberalitate tot nobiliſſimorũ adoleſcẽtium animos poſſim mihi cõciliare, omnes, ut dixi, donãdi



estis,ita tamen,ut singuli integrũ accipiatis libellũ, neq; ipse careã libello. Dicitis(scio)ænigma loquitur hic.unus est liber,& nulli e tãta multitudine nõ est daturus totum, nec uult se eo priuari. ne planus quidem ille, & præstigiator Mercurius posset hoc præstare, ut multos faceret caduciferos, suo quem unicũ habet,unicuiq; dato caduceo,nec eum tamẽ ipse deponeret. Is ꝓfecto Mercurius,ut id efficerẽ, me docuit.audite quo modo,tuq; inprimis audi Romanæ Academiæ moderator optime,cæteriq;,qui adestis, Antistites sacrosancti,ac uiri illustres, & magnifici. res est nisi fallor,digna ingenio, & doctrina uestra,nec uos multis morabor. Principio liber hic in usum meũ a me mihi paratus de meo,ut meus ẽ, sic futurus est meus,nec dono alicui dabo. nã præter unũ,qui donaretur,alii,ut dixi,grauiter dolerẽt, essetq; præterea munusculũ leue,non enim est tale, qualia tria Philolai uolumina,quæ Syracusanus ille Dion liberalissimus adulescens decem millibus denarium emit, eaq; largitus est Platoni suo, neq; hic idem aureis cõspiciẽdus est litteris, ut Homeri Poemata,siue quæ iunior habuit Maximinus, siue quæ in Byzantia spectabantur bibliotheca,unius tantum serpentis corio, operose & sumptuose conscripta, iampridem cũ ingenti librorum copia incẽdio consumpta. mille huiusmodi exempla in tabernis librariis hic Romæ uenalia sunt,unde unusquisq; uestrũ poterit sibi aliquod parare;tenetis quãobrem nulli

daturus sum, quia, ut dictum est, carere ipse, nec omnes possent donari, & donū esset exiguū, & nemo uestrum non potest sibi emere tenuissimo pretio. Dicam nunc, quo modo Deorū nuncius docuit posse munus idem singulis dari totum, atq; in perpetuū, sic ut q semel donatus est, nequeat illi a quopiā eripi, aut subduci unquā. rem quæso cognoscite. Mercurius non tantum palestræ, ut scitis, aut furti, aut musicæ, aut mercaturæ, ut nomē indicat, sed etiam eloquentiæ Deus est, & uocis humanæ, quā erudita uetustas aligeram dixit esse, & Homerus ipse uerba appellat alata. iamq; ex antiquis pictoribus non nulli, cum uerba ipsa pingerēt, atq; alia uultu facerent exhilarato, alia efferato, alia tristi, alia remisso, ut est uariarū uocum dissimilitudo, omnibus alas addebant. quæ iccirco Mercurii pedibus accōmodantur, quia oratio, cuius ille inuentor fuit, & modulator, uolucris est, non ut auis, quæ pennis, plumisq; uestita, atq; unguibus, & rostro armata per aerem lapsa non potest uno, eodemq; uolatu, nisi in unum tantummodo locum peruenire, cum hæc uox, quæ, uelut numen aliquod cœleste, non potest uideri, aut tangi; per multorum aures penitus immissa in animos usq; hominum eodem momento temporis inuolet, ibiq; sidat, atq; eos ornet præceptis, quibus uita recte instituitur. quæ bona perpetua sunt, nec fortunæ iactantur fluctibus, aut diuturnitate senescunt, sed cuiusmodi est animus ipse,

sempiterna sunt. Hac igitur mea uoce operam dabo huius operis, de quo iandudum loquor, sensa omnia id est immortalem, ut ita dicam, libelli animam, nam atramentum, Papyrus, lora, membrana, & umbilici, uelut membra quædam uetustate, aut aliquo casu cōsumpta una cum uniuerso corpore intereunt, sensa inquam omnia, nullos labores fugiens conabor uobis ostendere & in uniuscuiusq mente penitus infigere, ac in perpetuum dilargiri. atq ita nemo indonatus erit, sed quotquot estis, omnes munus accipietis, sibi quisq integrū, quod pollicitus sum. Verum ut tandem desinam philosophari, & ut Plautus inquit noster, argutari, aperte, breuiterq rem exponā, Horatii Venusini poetæ impressa sunt hic poemata. e quibus ipse in uestrā utilitatem, uoluptatemq explicanda suscepi carmina, sic enim ipse suas Odas appellat. Quid ego nunc uobis opus hoc laudibus exornem? putate nemus aliquod ingredi amœnissimum, latissimumq. ubi præter cœli nitorem, salubritatemq, terra sit herbis ac floribus cōuestita. proceræ ac frugiferæ arbores. hic sub collibus agricolarum sollertia cultis umbrosæ iaceant conualles. illic speluncæ penitus cauæ fontes effundant huberes, frigidosq. atq aliarum rerum sit copia, quæ oculis afferunt, ac auribus uoluptatem. Sic in hac Horatiana poesi quasi sylua quædam uiret uariarum rerum. delectaris adulescentule fabella? quam grauissimus author

Aristoteles carminis esse animam inquit, plurimam
percipies hinc, & suauissimam. mauult alius histo/
riam audire. passim occurrit illa, nec domestica tan
tum, uerum etiã peregrina. Ecce hic de grege Epi/
cureo uoluptatem appetit. aliquis Democritus ri/
dicula amat. Heraclitus aliquis flebilia. fac aut
Phædrum, aut Cliniam, aut Niceratum amatoria
uelle, Pollucem, aut Erycem, aut Herculem ipsum
robustiora, etiam alium Orphei similem hymnis, &
canticis delectari. quis hoc conuiuia hilarius parat?
aut stultos ridet urbanius? aut miserabilius lamen/
tatur, uel acerbos iuuenum interitus, uel alias mor/
talium calamitates? Virtutes & gesta heroum canit
hic solus, cœlitum laudes solus, at quibus carmini/
bus? Dii ĩmortales, Deæq; Iouis filiæ Pierides eru
ditæ, Parnassi castissimæ cultrices. Sentẽtiæ modo
graues, dulces modo magis hunc ornent, an uerba
selecta, an ipsorum uerborum rursus teres & modu/
lata structura Græcorum luminibus passim illustra/
ta, dubium est. Quid plura? Pindarum ipsum, Al/
cæum, aliosq; poetas Lyricos pene innumerabiles,
quibus se Græcia iactat, nequid magnificentius di/
cã, æquauit hic solus. nam nostri ubi tantam carmi
nis excellentiam audiuerunt, non ausi sunt idem ten
tare, quod siquis experiri uoluit, repudiatus ab
omnibus, & contemptus iacuit, nec eius scripta ad
posteros peruenerunt. ad extremum unicus est Ho
ratius Romanæ fidicen Lyræ, quem plenum iucun

ditatis, quem plenum gratiæ, quem solum fere legi dignum Fabius autumat Quintilianus. quem eundem Petronius cum Virgilio tantum e latinis poetam esse prædicat, reliquos tanto honore indignos censet. at eius æqualis Ouidius sine inuidia hunc & numerosum inquit, & eius Lyræ Ausoniæ carmina esse culta. nam quid ego nunc dicam de Persio doctissimo sane uiro, & in diiudicādis poetarū scriptis acerrimo, adeo ut ne optimo quidem illorum parcat, qui cum huius etiam sermones studiose imitaretur, uafrum eū prædicat, callidum, iocosumq; & sagacem poetam, & alius lucernam clamat hunc esse Venusinā, sine qua Musa latina iaceret in tenebris ignota. nihil dico de uariis carminū generibus, quæ nisi noster hic Romanos ipsos docuisset, unde illa disceremus, esset præterea nihil omnino. & quid Poeticæ nostræ deesset, si iis careret, q̄ nuda, & inops iaceret, quis non uidet? Iam illud quātum est? quod non modo legentium, atq; audientiū animos suauitate perfundit, sed multa recte uiuendi præcepta tradit e fontibus hausta philosophorū, qui fructus e laboribus nostris iucundissimus est. & profecto satis meo iudicio ꝓfecit ille, qui e literis modestiam in primis doctus est seruare, pietatem, atq; humani generis societatem. contra qui nostrā religionem sanctissimam negligit, qui pudorē non ex animo tantum, sed ex ore detersit, qui quid sit fides, & amicitia nunq̄ nouit, qui uelut alter Timon

homines odit uniuersos, eorumque commodis & honoribus diesque & noctes animo dolet telis inuidiæ grauiter consauciato. tantum abest, ut eum eruditū existimem, quamuis nefariu ille in Operto Musarum audeat permanere, nec timeat Iouis filias castissimas oculis, lingua, & manu incestare, ut infra omnes impuros, uentrique & gulæ deditos parasitos, infra nebulones omnes, atque adeo pecudes, & mōstra ipsa deiectum esse censeam. nam quod tetrius portentum est? quam litteras uirtutum genitrices tractare, cogitare, loqui, & facere turpissima. Vt enim os hominis naturæ artificio in promptu positum, si oculis est peruersis, si buccis plus nimio tumefactis, si deformi labrorum rictu, si denique fœda aliqua nota deturpatum, intuētium oculos offendit, sic uir litterarū studiosus, uitiorum macula respersus æquo non potest animo uideri, non potest audiri. Sed ipsum tandem poetam, & uiuendi magistrū audiamus, de cuius uita aliquid dicere, quando ea notissima est, & passim quotidie ab omnibus decātatur, absurdum esset, & hoc loco, tantaque doctissimorum hominum frequentia indignum. Audite igitur quibus uerbis, quam honorificis Mecœnatē suū alloquitur Calaber Poeta, non Ennium dico, fuit enim ille multo antiquior, qui in eadem Calabria natus, ut fuit, ac nunc etiam est, genus hominū, non modo in omni litterarum genere præstātissimum, sed beneficii nunquam immemor, Scipionis, Lælii

Flaminii,aliorũq; reip.Romanæ Principum uirtu tes, & triumphos immortali carmine celebrauit, ſed hunc,hunc etiam noſtratem dico Horatium ut intente audiatis. erunt huius uerba longe iucundio ra,q̄ fuerũt noſtra,quæ tamen,ut eſt ueſtra omniũ humanitas, & in me beneuolẽtia,benigne haſtenus audiiſtis,unde uobis omnibus gratiam ſemper ha/ bebo ſummã. Videte q̄ egregie nõ tãtũ in primo carmine Mecœnatis ſui nomẽ poſuit,ſed illud idẽ uoluit primum eſſet ordine omnium uerborum, ut legentium oculis primum ſtatim occurreret,pri mumq; uelut aliquod felix, fauſtumq; omen, Me/ cœnatis nomẽ pronuntiaretur,eiuſq; imago in ani mos hominum incurreret.fauete linguis,duos tan/ tum,polliceor, uerſiculos in præſentia exponam. ſpero, aliquod erit operæpretium audire.

Mecœnas atauis edite Regibus.
O,& præſidium,& dulce decus meum.

Enumerat hic Horatius diuerſa hominũ ſtudia in eorum animis natura penitus inſita.inde concitatis in curſum equis, aliqui gaudet Olympici ſtadii me tas ambire,magiſtratus alii potius ambiunt, hic au tem,ut huberes e terra fruges percipiat, agros uo/ meribus ſulcat duriter & laborioſe.ille paupertatis ærumnam modo abiiciat,roſtris idẽ facit per ma/ ris undas pauide & periculoſe. eſt qui utriuſq; duri ciem deteſtatus molliter uiuit ipſe in uoluptate.iã uero plurimi libentius tubæ clangores audiunt,hi/

lariusq; gestiunt in confertas hostium cateruas pe/
netrare, q̃ inter uirgines choros agitare. atq; sum/
ptis armis ita ad mortem festinãt, tanq̃ uitam inde
sint relaturi, quin etiã uenationis studiosi uxores iu
cundas cæteris ut feras exhorrẽt, feras rursus formi
dolosas aliis lætius uident q̃ uxores, se uero suapte
natura ad Musas ꝓpensum esse significat modeste.
O Mecœnas, casus est, quem ueteres non modo
uocatiuum, aut appellatiuum dixerunt, uerum etiã
salutatorium, hoc enim casu utimur, ubi iubemus
aliquem saluere, ut salue iuuentutis o Princeps,
Sæcli deliciæ, decusq; salue, & apud Comicum (nã
sic honoris gratia a multis Terẽtius dictus est) My/
sis salue, o salue Pamphile. epicorum quoq; præstã
tissimus Virgilius Maro, Salue sancte parẽs, iteꝝ sal
uete recepti nequicq̃ cineres, animæq; umbræq;
paternæ. atq; ut est in historia, alter e coruis planis/
sime pronuntiabat, salue Cæsar, alter salue Antoni,
ut utercunq; uicisset, nouus ille grãmaticus, & ma/
gister auium mercedem laboris & quasi Minerual
acciperet a uictore. Quia igit̃ hoc casu, ut apparet,
salutamus, antiqui, ut patrium sermonem omni ex
parte locupletarent, casum, ut dictũ est, salutandi,
& salutatorium appellarũt. Fuit autem Meçœnas,
ut nemo fere primis litteris imbutus ignorat, na/
tione Etruscus. quæ gens & antiquitate, & rei mili/
taris peritia, & augurali disciplina satis se priscis tẽ
poribus nobilitauit, ad quas præclaras uirtutes ac/

cesserunt opes immensæ, accesserunt ornamenta prorsus Regia, quæ ipse. P. R. gentium uictor usurpauit, iisq; Reges suos & magistratus decorauit. nostra autē tempestate, ut missus fiat sermo Etruscus, qui ut olim Atticus reliquis Græcis iucundus erat, eūq; alienigenæ complures studiose discebant, ita hic Italorū aures lepore quodam & suauitate demulcet, ut siquis ab eo prorsus abhorreat, agrestis quodam modo, & quasi barbarus existimetur, quæ laus non leuis est. sed ut eum silentio prætercam, neq; aliquid dicam de amœnitate, & cultura agrorum, deq; uillarum magnificentia pene innumerabilium, ipsæ in eadē Etruriæ regione urbes plurimæ sunt, & celeberrimæ inter quas uelut Regina quædam erigitur Florentia, omniū, quot uspiam sunt urbium, communi cōsensu, & iudicio pulcherrima, ubi quemadmodū eruditis sæculis olim in insula Rhodiensium, aut Athenis, aut in magna illa Græcia, aut Syracusis Græcæ facultatis studium floruit, sic in una tantum urbe Florentia non unus modo latinus, sed Graius quoq; sermo nostra iam memoria domicilium habuit, e quibus alter cum balbus pene iam obmutuisset, alter uero iampridē ita esset inauditus, quasi nusquam fuisset unq̃, cœpit uterq; simul quodam modo renascens diserte eloqui, ac poetice, nec non sapiēter multa mortalibus præcipere. idq; uno tātū authore omniū ciuiū quot unq̃ ibi fuerūt, clarissimo, qui patrimonium

suum copiosissimum benigne & cum magna, & in praesentia & apud posteros laude effundens, latinis, Graecisq; uoluminibus, quorum uel nomina ipsa iam diu interierant, per multos conquisitis, atq; undiq; comportatis, conductis etiam utriusq; linguae spectatissimis professoribus, quos praemiis auctos ingentibus in summo semper habuit honore, patriam suam & tempora perpetuo ornauit. Quae cum mecũ ipse cogito o Laurenti, tu tu enim Laurenti Medicee opulentissima & illustrissima familia natus, tũ inq̃ tuo studio, & regia liberalitate tot, tantaq; bona nobis peperisti. cum haec cogito, te unum optime omnium de humano genere meritũ esse existimo. nam cũ oratione, praesertim erudita, maxime differamus a brutis, eaq; diu perierit, cũ illa per te fuerit nobis restituta, restituta per te nobis fuit ipsa humanitas. nunq̃ tanti beneficii memoria ex animis hominum excidat, tuiq; sacratissimi manes sine ulla perturbatione aeuo fruãtur sempiterno inter animas coelestes uir deorum consuetudine dignior, q̃ mortalium. Quamuis in eadem progenie nõ illud tantũ sidus emicuit, sed aliquot post annis quasi lux quaedam exortus est Leo Decimus Pontifex Maximus nunq̃ sine summo honore, atq; etiã ueneratione nominandus, qui cum aliquandiu uirtutibus suis cuncta illustrasset, fato nobis aduerso mortifera quadam nube ante dié praereptus omnia reliquisset in tenebris, nisi Diis ipsis

euersionem sæculi miserātibus ex eadem medicea domo alter sese ostendisset Sol clarissimus Clemēs Septimus eodem summo Pontificatu ornatus, qui quāuis, ut Atlas, omnia solus sustineat, eiq; christianæ religionis incrementum, sit curæ, & rerum omnium tranquillitas, non tamen oblitus est bonarum artium, ratus in iis sitam esse recte uiuendi rationem. Itaq; negotium dedit Aegidio Cardinali amplissimo eloquentia, ac uarii sermonis multiplici doctrina ornato, q̄ qui fuit unq̄ maxime, meoq; etiā Ioāni Matthæo Gyberto Datario Opt. & Sapientissimo, cuius tanta est modestia, ingenuus pudor tātus, ut non uideam eius posse ullam, ne uerbo quidem, attingere Virtutem, quæ multa, magnaq; in eo elucet, quin grauiter offendatur. tāta rursus est illa, tāq; uaria, & in me non uniusmodi merita semper præ me, q̄ diu uixero, ferenda, atq; etiam prædicanda, ut eū nullo pacto possem, nisi alio festinaret oratio, tacitus præterire. His igitur duobus, atq; huius Academiæ aliarū omnium florentissimæ prudētissimo ac doctissimo rectori datum est, ut dixi, negotium, ne huic loco eruditi desint, facundi ac modesti professores, neue iis rursus honore defraudētur, & præmio. quod tam insigne beneficium memoria debemus semper prosequi gratissima. Redeo nunc ad Mecœnatem Tyrrhenū, patria Aretinum, Augusto Cæsari, cum quo bellis omnibus ab eo gestis, ut Pedo scribit Albinoua-

nus, socius interfuit, acceptissimum, atq; adeo inti/mum, idq; non fide tantum, prudentia, & usu rerū, uerum etiam Poeticæ studio, qua princeps ille ma/xime delectabatur. id autem genus doctrinæ tanto/pere coluit Mecœnas, ut inter sui temporis poetas haberetur insignis, iamq; nonnulla monumētis tra didit, ut Elegias complures, ut Prometheum tra/gœdiam. Laudauit & Octauiæ Augusti sororis ue/nustatē luculentis carminibus, e quibus est illud.

Pexisti capillum naturæ muneribus gratum.

Et de Berecynthia, ades inquit, o Cybelle montium dea, ades, & sonāte tympano quate flexibile caput, Latus horreat flagello, comitum chorus ululet. idéq; de suo sepulcro. Nec tumulum curo, sepelit Natura relictos. Quid autē Augustus ipse, & Nero/nis magister Seneca de huius scriptis senserint, nihil attinet nunc ostendere. Illud uero laudādum est in eodem Mecœnate, quod non quemadmodū pusil/li & minutuli homines inscitiæ suæ conscii animo semper pauido excubant formidantes, ne bolus, quem mordicus retinēt, ex ore eripiatur famelico, & iccirco maledictis, & latratibus eruditos proba/tosq; uiros a suis Principibus fugant, ut ingluuiem soli expleant, homines teterrimi, Tantaleis digni suppliciis. secus agebat ille, ut enim quisq; ingenio sissimus erat, doctissimusq; ita eum Octauio suo li/bentissime conciliabat, iamq; nonnulli tanti Princi pis familiaritatem uni referebant acceptā Mecœ/

nati,quorũ in numero fuit Virgilius Maro de quo non eſt nunc prædicandi locus,& noſter hic Horatius,cui cum multa ille largitus eſſet,ociũq; ad Poeticæ ſtudium conceſſiſſet, quod prætium habuit ſummũ,perſoluit hic. nã ingenii, & doctrinæ ſuæ monumenta Mecœnati conſecrauit, et præter epiſtolas,& Sermones,fuerunt hæc Carmina,Odas dico.enimuero egregiam retulit gratiam, multoq; plus q̃ acceperat, hic illi reddidit. ſed ſatis in uno Mecœnate immorati ſumus, qui fuerit ne ille,qui triennium uniuerſum,anteq̃ diem obiiſſet, ne punctum quidẽ tẽporis ſomno ſopitus fuit, dubiũ eſt. Dicet aliquis, nihil ne de turri loqueris Mecœnatica,unde cõmunis hominũ peſtis Nero urbis incendium cum cantu ſpectabat, & uoluptate? deq; eiuſdem domo, ubi æger ſolitus erat Auguſtus curari,aut de hortis, quo, ut alii ſuſpicantur, Poetarũ flos uentitabat, ibiq; luſit Horto carmina digna non libello? quid?omnia ne nunc ſunt inculcanda? immo ſentio me longius aliquanto, q̃ munus meũ requirit,ꝑgreſſum, itaq; reliqua celeriter pſtringã. O Mecœnas (inquit Horatius) edite Regibus atauis, cuius antiquum eſt genus, & Regium.atauis pro maioribus poetice dixit ,ut Virgilius. Turnus auis,atauiſq; potẽs. eſt autẽ atauus quartus ab auo. ſic enim ſtemma gentilitium, & domeſticũ ramos diffundit ſuos, ut poſt parentem ſit auus,proauus deinceps ſequatur, abauuſq; & de quo dictum eſt,

atauus. nouissimo loco sit tritauus. ultra maiores dicũtur. eademq; ratione Auia dicitur, & proauia, nepos, pronepos, neptis, proneptis, quæ omnia gradus habét eosdem, quos Auus: explicatur hic locus a iureconsultis abunde. De Regibus nihil opus est hic aliquid cõmemorare. quis enim nescit Regiã potestatem esse summam, eiq; sanctitatem inesse, & inter homines plurimum pollere? adeo ut, siquis opibus profluenter abundet, Rex dicatur, quasi inter alios excellens. inde est illud, Regẽ me esse oportuit. & Cicero causarum, & iudiciorum Rex dictus fuit publico omnium elogio, quia cœteris Oratoribus anteibat. quin & colludentes pueri Regem constituebant, nec eo carebant conuiuia, aut Sacerdotes. etiam rationis expertia Regem habent, nec aues modo, aut serpentes, sed apes ipsæ Musarum uolucres Regem multo magis obseruant, q̃ Aegyptii, aut Medi. quid opus est uerbis? Iuppiter Opt. Maximus & honore & nomine Regis gaudet. & Rex dicitur hominum & deorum, eiq; mortaliũ Reges curæ sunt. Non potuit igitur Horatius aut maiori, aut sanctiori uerbo Mecœnatis sui familiam exornare, quam dupliciter laudat ab antiquitate, & maiorum dignitate. Nam aliqua domus uetusta est, & tritaui potest, ut ita loquar, atauum, ac domesticæ stirpis ramum millesimum ostentare. in ea tamẽ, ut de antiquis Romanorum honoribus dicam, nulla fuit Prætura, Censura nulla, aut Consulatus, aut etiã

Triumphus, itaque nullo rerum gestarum splendore illustrata semper iacuit obscura. Contra, alii clari fuerunt per se, cum nihil luminis a suis accepissent, ut Siculorum Rex Agathocles natus e figulo, ut Seruius Tullius ancillæ, & Vulcani, ut fama fuit, filius, cuius amore capta rerum humanarum arbitra fortuna, (sic in Romanis fabulis legitur, fabulas autem Romanas dico, Romuli incunabula, eiusque ad superos Ascensum, Numæ & Aegeriæ colloquium in spelunca, Apicem Tarquinio ab Aquila impositũ, aliaque non multa, quibus abundat Græcia,) clanculum se per fenestram inserens adolescentis consuetudine fruebatur, eumque adeo dilexit, ut non tãtum Pileo, id est libertate seruum donaret, sed eius manum scæptro, caput autem diademate ornaret, eademque hera (ita enim ab Ennio dicitur Fortuna) muliones consulatibus decorauit. Qui omnes e parentibus nati ignotis se ipsos nobilitarunt. uerum illa demum in honore summo habetur progenies, cuius uetustas maiorum uirtute splẽdescit. ut de Mecœnatis genere non semel hic prædicat, multique cum eo præterea. O & præf. & d.d.m. O particula, quæ producto uocis sono pronuntianda est, & geminis proferenda temporibus. Quid autẽ sit tempus in syllaba, nemo ita indoctus est, quin intelligat. iungitur uero cum recto casu, ut, o ego felix uirum nactus in omni uirtutum genere præstantissimum. cum accusatiuo, o me nunquam quietum, do

nec incolumis redeat meus. nam quis nescit appel/latiuo frequentissime hærere. certe tribus his mo/dis uno, atq; altero uersiculo usus est Propert. o me felicem, nox o mihi cãdida, & o tu Lectule deliciis facte beate meis. Et præsidium, tutamen, & patro/cinium. ut enim præsidium in Vrbe, oppido, aut in arce collocatum ab hostibus locũ defendit, sic cũ multa Mecœnas largitus esset Horatio, paupertatẽ hostem mortalibus acerrimam, ab eo procul fuga uit. Et decus meum dulce, ornamentum. unde præ ter laudem, gloriamq; uoluptas manat suauissima. Est autem honorifica appellatio, non enim tantum dixit o Mecœnas, sed pluribus, ut suũ ornaret, usus est uerbis. factitat hoc Virgilius, sed e multis exem/plis illud nunc occurrit, quo solo erimus contenti.

Troiugena interpres diuũ, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.
Et uolucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Verum ne uestra humanitate uidear abuti, finem dicendi faciam, nec uos ulterius morabor.

